

ut bonis in Deum proficerent actibus, & fide perseverarent, rogabat; & ne desisterent ab amore, & fide Romani Imperii admonebat. Tanta Summus ille Pontifex moderatione usus est, ut, teste *Paulo Diacono*, lib. 6. de Gestis Longobardorum cap. 49. Ravennæ, & Venetiarum exercitus ad rebellionem contra Imperatorem paratos in officio continerit. Idemque confirmat *Anastasius* in Vita *Gregorii II.* ubi hæc habet, *Cognita Imperatoris (seu Leonis Isauri) nequitia, omnis Italia consilium inivit, ut sibi eligeret Imperatorem, & Constantinopolim duceret. Sed compescuit tale consilium Pontifex, sperans conversionem Principis.* Aliter se gessit idem summus Pontifex *Gregorius II.* erga *Anastasiu* Pseudo-Episcopum Constantinopolitanum. Hunc siquidem *Anastasiu*, quem Imperator *Leo Isaurus* in locum Sancti Germani legitimi Episcopi Constantinopolitani injuste depositi subrogaverat, Anathemate confixit *Gregorius II.* eumque tanquam hæreticum Iconoclastam execratus est. Sedit *Gregorius II.* annos quindecim, dies viginti tres, & mortuus est die vicesima mensis Februarii anni *DCXXXI.* Ablato e vivis *Gregorio II.* post breve interpontificium *Gregorius III.* natione Syrus consecratus est Pontifex Romanus die decima octava mensis Martii anni *DCXXXI.* fuit Pontifex doctrina, & pietate insignis. Pallium Archiepiscopatus Sancto Bonifacio Germaniæ Apostolo, ob præclaros in conversione Infidelium exantlatos labores concessit, & ad novem Capita, de quibus ab ipso consultus fuerat, respondit. Ad profligandam invalescentem in dies Iconoclastarum Hæresim totus incubuit, & ut Italiam a Longobardis miserè vexatam liberaret, ad *Carolus Martellum* Majorem domus Regiæ Francorum duas Legationes una cum clavibus Sancti Sepulchri, & vinculis Sancti Petri misit, eumque, postquam Longobardos valido in Italiam ducto exercitu in ordinem redegisset, *Patricium* dixit. Sedit *Gregorius III.* ann. decem, menses octo, dies decem, & die undecima, quæ fuit vicesima octava mensis Nov. ann. *DCXXLI.* sepulturæ mandatus est. Post breve ab ejus obitu Interpontificium, die tricesima mensis Nov. ejusdem anni, S. *Andreas* Apostolo sacra, *Zacharias* natione Græcus consecratus est Pontifex Romanus, qui pacem cum *Luitprando* Longobardorum Rege sanxit, ejusque in Longobardorum Regno successori *Rachi* dicto suavit, ut Monachum indueret, & Regulam S. *Benedicti* in Cœnobio *Cassinensi* profiteretur. Plures ad Sanctum Bonifacium Germaniæ Apostolum scriptis Epistolas, ei Synodum celebrandi facultatem impertivit, & ad novarum sedium Episcopos communem direxit Epistolam. Eidem Bonifacio ipsum consulenti, an baptizatus in nomine *Patria*, & *Filia*, & *Spiritua Sancta*, esset rebaptizandus? Respondit, non esse rebaptizandum. *Adalbertum*, & *Clementem* Episcopos Hæreticos, de quibus ad ejus sanctitatem retulerat Bonifacius, damnavit in Synodo Romæ habita. Coloniam, & postea Moguntiam in Metropolim erexit; ad varia Capitula,

quæ Bonifacius per *Burchardum* Wirtzburgensem Episcopum in litteris proposuerat, respondit, eidemque Bonifacio Archiepiscopatu Moguntino renunciare cupienti, assensum præbere noluit. Plerique Scriptores, tum veteres, tum recentiores *Zachariam* Romanum Pontificem Auctorem faciunt translationis Regni Francorum a *Childerico Tertio* postremo Merovingiorum stirpis Rege, ad *Pipinum* Majorem domus Regiæ. Alii vero Scriptores id negant. Certum est, Galliarum Optimates, quando de *Childerico III.* Rege ob ignaviam deponendo, & *Pipino* in ejus locum substituendo actum est, *Zachariam* Pontificem Maximum anno *DCCLI.* per Legatos in re tanti momenti consuluisse, eique exposuisse, Regiam potestatem residere apud vacuum Regii nominis simulacrum, *Pipinum* vero Majorem domus Regiæ, & *Caroli Martelli* filium, virum esse acerrimum bello, & pacis artibus solertem, atque de tota fere Europa optime meritum, quippe qui Franciam intestinis seditionibus agitatum, a finitimis populis laceffitam potentissime tueretur, ac Religionem Christianam in Italia periclitantem ob Longobardorum bella, & Græcorum Hæresim; in Hispaniis oppressam Mahometicæ sectæ peste, & in plerisque Germaniæ locis extincta ob Idololatriam; in libertatem, pristinumque decus assereret. Ad hanc Optimatum Galliæ Consultationem respondit *Zacharias* Papa, Regio nomine ornandum esse *Pipinum*, penes quem erat libera totius Galliarum Regni administratio. Hujus Sancti Pontificis monentis & consulentis auctoritatem secuti Galliarum Proceres, *Childerico III.* Regem, cuius socordia Reipublicæ Christianæ & Regno exitialis erat, deposuerunt, & *Pipinum* anno *DCCLII.* in Urbe Sueffionensi Regem acclamarunt. Sedit *Zacharias* annos decem, menses tres, dies quatuordecim, & mortuus est die decima quarta mensis Martii anni *DCCLII.* Mortuo *Zacharia* Summo Pontifice, *Stephanus* Presbyter ad Pontificatum electus est, & in Lateranense Patriarchicum immisus, ubi biduo manens, tertio die postquam a suo surgeret somno, subito obmutuit, & sequenti die defunctus est, inquit *Anastasius*. Hunc *Stephanum* Presbyterum inter Pontifices Romanos numerari haud debere, existimant nonnulli Viri eruditi, eo quod numquam fuerit ordinatus Pontifex Romanus. Quæ ratio licet plausibilis sit, quia tamen multi Scriptores Ecclesiastici, post *Baronium*, hunc *Stephanum* affirmant verum esse Pontificem, eumque *Stephanum Secundum* appellant, ideo nos a communi opinione, quam pervulgata Romanorum Pontificum series in Tabulis Chronologicis approbare videtur, recedendum non esse autumamus. Huic *Stephano II.* successit *Stephanus III.* natione Romanus, qui fuit ordinatus die vicesima sexta mensis Martii an. *DCCLII.* Hic est, qui ab *Aistulpho* Longobardorum Rege vexatus, Legatos Constantinopolim misit, ut ab Imperatore *Constantino Copronymo* auxilium peteret; sed postquam frustra illud implorasset, in Franciam iter suscepit, a *Pipino* Rege honorifice-

tissime exceptus est, eumque, & illius filios *Carolus* & *Carolomannus* Reges inauguravit. Romam reversus, cum nollet *Aistulphus* Longobardorum Rex pactis conventis stare, denuo *Pipini* Francorum Regis auxilium poposcit, eumque monuit, ab *Aistulpho* Romam esse obsessam. Tunc *Pipinus*, abjecta omni cunctatione, Romam venit, Longobardos profligavit, eripuitque ex eorum Tyrannide Ravennam, totumque Exarchatum, Pentapolimque, ac viginti Civitates his Provinciis comprehensas, atque illarum dominio Ecclesiam Romanam sua munificentia & regali liberalitate adauxit. Sedit *Stephanus Tertius* annos quinque & dies viginti novem, & mortuus est vicesima quarta Aprilis anni *DCCLVII.* Mortuo *Stephano Tertio*, vacavit Sedes Pontificia triginta quinque diebus, & *Paulus* hujus nominis Primus ejus frater consecratus est Pontifex Romanus, die vicesima nona mensis Maji ejusdem anni *DCCLVII.* Ad *Pipinum* Regem confestim scripsit Summus ille Pontifex, se fœdus, quod *Pipinus* cum *Stephano III.* illius decessore pepigerat, servaturum. Scripsit etiam Epistolam ad omnes Francos, quæ in Codice Carolino legitur num. *XXII.* in qua gratiarum actiones uberime continentur. Fuit *Paulus I.* Pater Iustitialis, seu, ut vocant, *Patrinus Gislani* filix Regis *Pipini*, quicum arctissima necessitudine devinctus erat, & in quo magnam spem, ob illius singulare in Apostolicam Sedem studium, posuerat. Contra *Desiderium*, qui in Regno Longobardorum *Aistulpho* successerat, quique Ditionem Pontificiam vexabat, & igne ferroque Provinciam Pentapoleos cum Ducatibus *Spoleto*, & *Beneventano* vastabat, legationem misit *Paulus I.* ad *Pipinum* Regem, a quo auxilium petiit ad recuperandas Civitates, quas *Desiderius* Longobardorum Rex Apostolicæ Sedi necdum restituerat. Ab eodem *Pipino* sapius Summus ille Pontifex auxilium postulavit tum contra Græcos, qui classem in Italiam transmittere decreverant, & Ecclesiæ Ditiones, Romamque invadere in animo habebant; tum contra Longobardorum Regem *Desiderium*, qui in Sedis Apostolicæ subditos impune grassabatur, nec restituebat Civitates, *Pipiniana* donatione Sedis Apostolicæ dominio assertas, ac vindicatas, ut constat ex frequentibus litteris a *Paulo I.* Pontifice Maximo ad *Pipinum* datis, quas Codex Carolinus exhibet. Tentavit etiam idem Summus Pontifex *Thassilonem* Bajoariæ Ducem cum *Pipino* in concordiam reducere, eamque ob rem Legatos misit, qui *Ticinum* cum venissent, a *Desiderio* Longobardorum Rege ulterius progredi prohibiti sunt. Construxit *Paulus I.* Monasterium in paterna domo in honorem *Sanc-torum Stephani & Sylvestri*. Erga Pauperes & carcere vinctos mansuetudinis & charitatis laude excelluit, seditque annos decem, menses unum, & Spiritum Deo reddidit die *XXVIII.* mensis Junii anni *DCCLXVII.* Eodem die, quo mortuus est *Paulus I.* *Toto* Dux Nepefinæ Civitatis curavit subito eligi in Romanum Pontificem *Constantinum* fratrem suum laicum, &

a *Georgio* Episcopo Prænestino die V. mensis Julii ejusdem anni consecrari. Sedem Apostolicam, quam invaserat *Constantinus*, tenuit per anni spatium, & mensem unum, nempe a die V. mensis Julii anni *DCCLXVII.* quo fuit consecratus, usque ad diem quintum mensis Augusti anni *DCCLXVIII.* quo die *Constantinus* Sedis Apostolicæ invasor depositus est, & in Monasterium *Cel-las novis* deportatus. Circa idem tempus *Wadilperus* Presbyter extraxit e Monasterio Sancti *Vitii Philippum* Presbyterum, eumque ad Summum Pontificatum evexit. At utroque ejecto Pseudo-Pontifice, *Stephanus* hujus nominis IV. natione *Siculus*, summo omnium ordinum consensu die VII. mensis Augusti Pontifex Romanus creatus est. Romæ Synodum habuit, in qua *Constantinus* Antipapa damnatus est, & omnia ab illo Pseudo-Pontifice peracta, nulla, & irrita fuere declarata. *Carolus*, & *Carolomannus* Francorum Reges monuit, *Desiderium* Longobardorum Regem non restituisse Civitates Ecclesiæ Romanæ ablatas, & ad illos etiam vehementissimam exhortationem misit, ne *Desiderii* Longobardorum Regis filiam in uxorem acciperent, neve suam purissimam stirpem de Sede Apostolica optime meritam, impuro stirpis Longobardorum sanguine, qui in Sanctam Sedem male affecti erant, turpiter scelerarent. Sedit *Stephanus IV.* annos tres, menses quinque, dies viginti septem, & obiit die secunda mensis Februarii anni *DCCLXXII.* Mortuo *Stephano IV.* *Hadrianus* hujus nominis I. Civis Romanus, post Interpontificium aliquot dierum consecratus est Pontifex Romanus die IX. mensis Februarii ejusdem anni *DCCLXXII.* *Carolomanni* Regis filios noluit Francorum Reges inaugurare, ob idque a *Desiderio* Longobardorum Rege vexatus imploravit auxilium *Caroli Magni* Francorum Regis, ad quem plures scripsit Epistolas, & Vexillum Sancti Petri misit initio Pontificatus sui. His Sanctissimi Pontificis litteris excitatus *Carolus*, & magno, ut par erat, defendendæ Sedis Apostolicæ zelo accensus bellum contra *Desiderium* suscepit, eumque *Ticini* obsessum, in suam redegit potestatem, Romano vero Pontifici non solum omnia, quæ a *Pipino* Patre donata erant, rata esse voluit, verum etiam adjecit alia quamplurima, *Sabinense* videlicet territorium, *Spolethinum* Ducatum, & *Beneventanum*, quæ accurate ab *Anastasio* in Vita *Hadriani I.* referuntur. *Felicis* Episcopi *Urgellitani* errorem de Filiatione adoptiva Christi, damnavit *Hadrianus I.* suosque Legatos misit ad *Septimam* Synodum *Nicæ* congregandam, & ad Synodum *Francfordiensem*, de quibus Synodis differemus in Colloquio quarto. *Carolus Magnus* Romam venientem idem Summus Pontifex magnificentissimo suscepit apparatu, eique obtulit, sicut optime observat *Sirmondus* Tomo secundo *Conc. Gallic.* non Epitomem, sed integram Collectionem tum Canonum Conciliorum ad usum Ecclesiarum Occidentalium, ex qua deinceps illa Epitome confata est; tum etiam Epistolarum Decretalium a *Siricio* Papa ad *Gregorium*

gorium usque hujus nominis II. Addit insuper *Sirmondus*, illum ipsum Carolo Magno datum esse librum, qui *Codex Canonum* a Nicolao Papa appellatur distinct. 19. Cap. *Si Romana Ecclesia* &c. quique Moguntia primum excusus est anno MDXXV. & in Editione postea Parisiensi inscriptus est: *Codex vetus Ecclesie Romane*: In hac Epitome continentur Canones Apostolici XLV. Ancyranus XXIV. Neocæsarienses XV. Gangrenses XX. Antiocheni XXV. Laodicenses LVIII. Sardicenses XXI. Carthaginenses XXXIII. Africani CV. Integra vero Collectio Canonum completitur viginti Canonibus Nicænis, & alios Canones Constantinopolitanos, Ephesinos, & Chalcedonenses, qui in Epitome desiderantur. Jus eligendi Romanum Pontificem, & Investituram Episcopis conferendi Carolo Magno Hadrianum I. Summum Pontificem concessisse scribit *Sigebertus* ad annum Christi DCCLXXXIII. ex quo idem bene ad verbum exscripsit *Gratianus* distinctione 63. Cap. *Hadrianus*. Sed hanc concessionem plane fictitiam esse, probat *Anastasi Bibliothecarii*, *Eginhardi*, & antiquorum Scriptorum, qui res a Carolo Magno gestas memoriam prodiderunt, silentium. Præterquamquod, nullibi legitur, Carolum Magnum ejusque filios illo jure in Romani Pontificis electione unquam fuisse usos, quo tamen omni procul dubio usi fuissent, si revera illis esset concessum. Obiit *Hadrianus I.* die XXV. mensis Decembris anni DCXCV. Postridie mortis illius electus est *Leo III.* Patria Romanus, & die insequenti consecratus est Summus Pontifex, cujus vitam summam perfringemus in *Colloquiis nostris in Historiam noni Ecclesie sæculi*, quo ad Deum migravit, hoc est anno DCCCXVI. (a)

(a) Sifinnii Interpontificium est in Cod. Luc. mens. I. dierum XXVIII.
 Constantinus sedit an. VII. dies XV. In fine vitæ hujus Constantini in MS. Cod. Luc. nota hæc legitur rubricatis literis: *Hucusque CXXVIII. anni sunt, quod Longobardi venerunt, & VII. menses.*
 Gregorii II. Sedes circumscibitur annis XV. mens. VIII. diebus XXII. Deposito sub die XI. Februarii indictione XIV. cessatio Episcopatus diebus XXXV.
 Gregorius III. sedit annis X. mensibus VIII. diebus XXIV.
 Stephani III. depositio signatur VI. Kal. Maji. Interpontificium vero diebus XXII.
 Stephanus IV. sedit annos III. mens. V. dies non signantur. Interpontificium est dierum IX.
 Adrianus, cum quo Lucensis Codex concluditur, sedit an. XXIII. mensibus X. diebus XVII.
 Ejus depositio signatur die VI. Kal. Januar.
 Ind. IV.

D. Seriem Summorum Pontificum, qui sæculis septimo & octavo Sedem Romanam tenuerunt, in præclaro ordine collocasti; superest modo, ut juxta eundem ordinem Chronologicum attexas seriem Episcoporum, qui iisdem sæculis septimo, & octavo sedibus Alexandrinæ, Antiochenæ, Hierosolymitanæ, & Constantinopolitanæ præfuerunt.

M. Rem sane perdifficilem postulas, quam tot in tenebris, quibus successio Patriarcharum Alexandrinorum, Antiochenorum, & Hierosolymitanorum in septimo, & aliis sequentibus sæculis obsita est, enucleare velle, hoc opus, hic labor est. At enim, ex quo Barbari, seu Saraceni in septimo Ecclesie sæculo, seu anno DCXV. Alexandriam subegerunt, Antiochiam, & Hierosolymam anno DCXXXVII. expugnaverunt, deploratissimus fuit illarum Ecclesiarum status. Hæretici siquidem, & præsertim *Jacobite* sedes Patriarchales Alexandrinam, & Antiochenam invaserunt, eorumque dumtaxat Patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum seriem, & historiam habemus ex *Elmacino*, *Eutychio*, *Chronico Orientali*, & ex aliis Scriptoribus Orientalibus descriptam. *Nicephorus* etiam suum Episcoporum Hierosolymitanorum Catalogum claudit in *Sophronio*, qui mortuus est anno DCXXXVII. Successionem Patriarcharum Jacobitarum, qui a septimo sæculo Sedem Alexandrinam tenuerunt, accurate exhibent doctissimi Continuatores *Bollandi* in *Historia Chronologica*, quam præmiserunt ad Tom. V. mensis Junii, & *Cl. Eusebius Renaudotius* in *Historia Patriarcharum Alexandrinorum*, quos Scriptorum, si per otium liceat, consulere poteris, nec enim illa Patriarcharum in Sede Alexandrina successio tanti, mea quidem sententia, in rem Ecclesie esse debet, ut in ea texenda diutius hic immoremur.

D. Quid sibi vult istud Jacobitarum nomen, & quinam sunt eorum errores?

M. Nihil in *Chronico Orientali*, & apud eos, qui de Coptis, vel de Orientalibus mediæ ævi meminerunt, recurrit frequentius, quam *Jacobitarum*, & *Melchitarum* appellatio, quam hic breviter explicabimus. A quodam *Jacobo* Monacho Syro, Severi discipulo, *Dioscoritani*, seu *Eutychiani* erroris defensore acerrimo, *Jacobitis* nomen inditum est. Hic *Jacobus* cognominatus *Zanzalus*, & *Baradeus*, plerisque Syros demeravit. Quo factum est, ut *Monophysitæ*, idest, *Eutychiani*, deinceps *Jacobite* fuerint vulgo appellati. Catholici, qui Jacobitarum errores respuebant, *Melchitarum* cognomen acceperunt, a voce *Melchi*, quæ Siriace *Regem* significat, ut videre est apud *Nicephorum Callixtum* lib. 18. *Histor. Ecclesiast.* cap. 52. Catholici itaque appellabantur *Melchite*, quia ad hærebant Imperatoribus, qui Concilii Chalcedonensis, in quo Hæretica *Eutyches* damnatus fuerat, auctoritatem tuebantur. De Jacobitarum origine disputant inter se Critices disciplinæ periti. Alii eam referunt ad initium sexti sæculi, alii ad exordium septimi, quæ de re legis *Appendicem ad Patriarchas Alexandrinos de Coptis, & Jacobitis*, quam doctissimi *Bollandi* Continuatores ad Tom. V. mensis Junii subjecerunt (a). Verum, prætermissa illa questione, quæ non est magni momenti, breviter hic dumtaxat observare debes, Jacobitas, præter *Eutychianam* Hæresin de una tantum in Christo natura, quam etiamnum acerrime tuebantur, aliis erroribus implicitos esse. Primo, Baptismum simul cum Circumcisione re-

qui-

quirunt. Secundo, fronti, aut genis injusto cautio, affirmant Peccatum Originale remitti. Tertio, Confectionis Sacramentalis usum ac necessitatem inficiantur. Quarto, Purgatorium dari negant, ac proinde Animas corporibus exutas, fidelium precibus juvari. Quinto, Primatum Romani Pontificis non agnoscunt. Postremo, hunc palmarem cum Græcis errorem propugnant, quod Spiritus Sanctus non procedat a Filio, sed tantum a Patre. Sed, quamvis hisce erroribus infecti sint Hæretici *Jacobite*, invicte tamen contra Hæreticos nostri temporis Lutheranos, Calvinistas &c. evincunt Polemici Scriptores Catholici, plura fidei dogmata, quæ modo ab illis per vicaciter negantur, constanter fuisse a Jacobitis semper propugnata. At enim Crucis signum, ejus Imagines &c. quoque Beatissimæ Virginis & Sanctorum orationes, ad eorum auxilia postulanda, cæreos, suffitus, cultum Reliquiarum, peregrinationes ad loca sancta, & jejunia cum abstinentia a certis edulis, carnis macerationes, vitam Monasticam, Castitatis vota, Vasa sacra, Festa, publicas supplicationes statis temporibus, ac multa alia, quæ nos Catholici a majoribus tradita religiose observamus, per mille & ducentos annos a Jacobitis custodita & credita fuisse, liquido demonstrat jam citatus *Eusebius Renaudotius* in sua *Historia Patriarcharum Alexandrinorum*, quam tibi Auctor sum ut aliquando legas. *Bollandiani* operis Continuatores loco mox laudato existimant, Patriarchas *Jacobitas*, qui octavo Ecclesie sæculo Sedem Alexandrinam tenuerunt, a suis erroribus respicuisse, & cum Ecclesia Romana Communionem redintegrasse. Sed hanc *Jacobitarum* Ecclesie Alexandrinæ cum Ecclesia Romana concordiam, optimo jure negat *Eusebius Renaudotius*, tum quia constat, *Jacobitas* Ecclesie Alexandrinæ Patriarchas *Monophysiticam*, seu *Eutychianam* Hæresim, quæ ab initio fuerunt infecti, sæculo octavo non deposuisse, nec ad Catholicam fidem rediisse, cum altum sit ea de re Scriptorum Latinorum, Græcorum, Arabumque silentium, qui tamen insignis hujusce eventus, & Patriarcharum *Jacobitarum* Ecclesie Alexandrinæ ad Ecclesiam Romanam aditus memoriam posteris non invisissent; maxime cum *Maronitarum* ad Ecclesiam Catholicam reversio a Latinis, & a Scriptoribus Orientalibus non fuerit prætermissa, & *Gajanitarum*, *Barjanusianorum*, & obscuriorum quorundam Hæreticorum cum *Jacobitis* conversio, in *Historia Alexandrina* consignata reperitur. Tum quia etiam non solum ex Authorum silentio, sed ex indubitatis Coptarum, & Antiochenorum *Jacobitarum* monumentis certum ac exploratum est, *Jacobitas* cum Ecclesia Romana nullam prorsus Communionem habuisse. In illorum quippe *Historia* abjuratæ aliquando ab ipsis *Eutychianæ* Hæresis ne vola quidem, vel minimum extat vestigium, sed potius idem error de una tantum in Christo natura semper ab eis retentus legitur, Anathemata adversus Generale Concilium Chalcedonense similia habentur, necnon cultus religiosus *Dioscori*, ejusque successorum Hæreticorum, videlicet *Saverii*, *Perri Gnaphei*, & *Benjamini*, quos omnes da-

mnavit Ecclesia Catholica. Deumum, nullam Latini, vel Græci Orthodoxi cum *Jacobitis* communionem habuerunt. Immo, cum Latini Hierosolymis regnarent, capitalis & Apostasie loco habebatur nimia cum ipsis familiaritas. Nulla itaque fuit *Jacobitarum* Patriarcharum Ecclesie Alexandrinæ cum Ecclesia Romana Communio, usque ad Legationem *Gabrielis* Patriarchæ Alexandrini ad Clementem VIII. Pont. Max. qui per suas litteras Romanæ Sedis Primatum agnovit, & Orthodoxam fidem professus est. Cæterum, an sincero, vel ementito animo Orthodoxam fidem *Gabriel* ille Patriarcha Alexandrinus amplexus fuerit, Deus novit. Sed quidquid habuerit in animo, experientia docuit, decantatam illam & nimium celebratam unionem nullum tulisse fructum, non magis quam tot alias cum Græcis in Conciliis Lateranensi, Lugdunensi, & Florentino factas uniones.

(a) De *Jacobitarum* auctore unde nomen hæretici illi traxerunt, differit accurate suo more *Cl. Assemanus* *Biblioth. Oriental.* tom. 2. cap. VIII. pag. 62. & ex *Syriacis* Scriptoribus evincit nomen istud hæsisse ex *Jacobo* quodam *Baradæo* Syro, qui ex Monacho *Sedem Edeffena* nam invasit anno 541.; simulque *Eutychiano* rum errores, quibus erat imbutus, longe lateque spargere cepit. *Sanctimoniz*, quam affectabat, favore addita dignitate *Metropolitæ* totius *Mesopotamiæ*, qua *Edeffena* Ecclesia præstabat, id effecit, ut totius sæctæ columnæ & decus haberetur. Obiit anno Christi 568. teste *Dionysio* fere æquali scriptore, in *Chronico* apud *Assemanum* tom. 1. pag. 424. ejusque memoria a *Jacobitis* ter recolitur die scilicet 28. Nov. 21. Mart. & 31. Jul. Inditum ab eo *Jacobitarum* nomen in totum *Antiochenum* Patriarchatum & *Alexandrinum* pariter propagatum est. Ejus sæctæ Patriarcharum series, ab *Assemano* diligenter deducta, legenda est apud illum tom. 11. pag. 321.

Melchitarum nomen olim ab initio non fuisse sæctæ religioz, sed factionis civilis, idem *Assemanus* tom. 1. pag. 508. existimat; & quidem sub *Constantino Pogonato* quo tempore *Syri* adversus Imperatorem rebellaverunt aliis in fide manentibus. Hinc nata nomina, rebellium quidem *Mardaitarum*, quod idem sonat *Syriace* ac *Rebelle*; fidelium vero *Melchitarum*; Melchi enim *Syris* est *Rex* seu *Imperator*. Id colligit *Assemanus* ex silentio scriptorum omnium usque ad IX. seculum, apud quos ne vestigium eorum nominum apparet. Fatetur tamen idem *Assemanus* apud recentiores scriptores *Melchitas* audire illos, qui recta in fide sentiunt; & apud *Nestorianos* *Melchitæ* sunt omnes, qui contra geminas in Christo personas pugnant, sive illi *Monophysitæ* sint, sive *Maronitæ*, sive *Catholici*. Vide eundem *Assemanum* tom. 3. part. 1. pag. 305.

D. Post mortem itaque *S. Eulogii*, qui, sicut memini te observasse in quarto Colloquio in *Historiam* sexti Ecclesie sæculi, *Sedem* Alexandrinam tenuit usque ad exordium septimi sæculi, hoc

hoc est, usque ad annum DCVII. Ceteri, qui in Sede Alexandrina sæculis septimo & octavo S. Eulogio successerunt, fuerunt Hæretici Jacobitæ.

M. Omnes Patriarchæ Alexandrini, qui Sancto Eulogio successerunt, fuerunt Hæretici Jacobitæ, paucis tamen exceptis, quos hic breviter indicabo. Mortuo Sancto Eulogio Patriarcha Alexandrino anno DCVII. successit *Theodorus Scribo* Patriarcha idem Orthodoxus, cui annos duos tribuunt Nicephorus in Chronico, & Tabulæ Theophani insertæ, obiitque anno DCIX. Theodoro Scriboni in Sede Alexandrina eodem anno successit *Sanctus Joannes Eleemosynarius*, qui Ecclesiam Alexandrinam rexit usque ad annum, quo Alexandria in Barbarorum, seu Saracenorum potestatem redacta est, hoc est, usque ad annum sexcentisimum decimum sextum, a quo anno mors Sancti Joannis Eleemosynarii removeri haud potest, ut recte observant *Rosweidus* in Notationibus ad vitam Sancti Joannis Eleemosynarii, *Petavius* in Notis ad Breviarium Nicephori, *Bollandus* ad diem XXIII. Januarii in Commentario prævio ad hujus Sancti vitam, & *Anonius Fagijs* in Critica Baronii ad annum DCXX. Vita Sancti Joannis Eleemosynarii Patriarchæ Alexandr. primum scripta fuit a *Joanne Moscho*, & a *Sophronio* Episcopo Hierosolymitano, qui a *Metaphraste*, & a *Leontio* Neapoleos in Cypro Episcopo, in Vita ejusdem Sancti Joannis Eleemosynarii, quam descripsit, *Viri Excellentissimi* appellantur. Hic autem obiter observem velim, hanc Joannem Moschum, a quo dicimus scriptam fuisse vitam Sancti Joannis Eleemosynarii, in Editione *Aloysii Lippomani* cognominari *Epiratum*, sed perperam. Cognomen siquidem dicebatur *Eucrates*, ut optime advertit eruditus noster *Michael Lequien* in suis Notis in 1. tom. Editionis Operum Sancti Damasceni pag. 328. quod quidem mendum corrigi debet ex titulo libri, quem edidit *Joannes Moschus*, qui inscribitur: *Pratum Spirituale*, quem titulum publicavit *Cotelerius* tom. 2. Monumentorum Ecclesiæ Græcæ, & sic habet: *Joannis Eucrate liber, qui inscribitur, Pratum Spirituale, quod floridam ferat Vitæ narrationem Celestis Rosæ*. Mortuo Sancto Joanne Eleemosynario Patriarcha Alexandrino anno DCXVI. *Georgius* Monachus in ejus locum subrogatus est. Hic est, qui scripsit vitam Sancti Joannis Chrysofomi, ex qua *Photius* in Bibliotheca capit. XCVI. excerpta quædam dedit, & de Auctore judicium tulit. Habetur hæc Vita inter varia ad Sanctum Chrysofomum spectantia in Editione Græca Operum illius adornata ab *Henrico Savillo*. Ecclesiam Alexandrinam gubernavit Patriarcha *Georgius* usque ad annum DCXXX. & uno, aut altero post ejus mortem anno Hæretici Monothelitæ Sedem Alexandrinam occuparunt. *Cyrus* quippe Phafidis Episcopus, de quo multa in sequentibus Colloquiis dicenda nobis occurrent, postquam Sedem Alexandrinam suscepit adeptus, unionem fecit cum Theodosianis Acephalis, quorum ea in Urbe ingens erat nu-

merus, & ad Monothelitarum Hæresim de una tantum in Christo voluntate & operatione stabiendam, convocavit Alexandria Conciliabulum anno DCXXXIII. in quo novem edidit Capitula, quorum ultimo asseruit: *eundem unum Christum & filium operari Deo decibilia & humana una & virili operatione secundum Sanctum Dionysium*. Qua in re observa, si placeat, frontem perfidi illius Hæretici, quem non pudit textum *Sancti Dionysii* interpolare, & pro *nova Dei-virili operatione*, substituere *una & virili operatione*, quam fraudem Pseudo-Magistri sui postea alii Monothelitæ secuti sunt. Post peractum istud Conciliabulum *Cyrus* scripsit ad *Sergium* Constantinopolitanum, suæque Epistolæ novem illa Capitula Alexandria fabricata & promulgata adtexuit. *Sergius* gratulatoriam Epistolam ad *Cyrum* scripsit, insertam Synodo Lateranensi, Secretario tertio, in qua novem illius Capitula, quæ purum putumque olebant Monothelismum, palam approbavit, summisque laudibus prosecutus est. Verum *Cyrus* anno DCXL. accusatus quod omnem Egyptum Saracenis prodidisset, Patriarchali dignitate ab Imperatore *Heraclio* exutus est, in quam tamen anno DCXLI. ab Imperatore *Heraclione* post patris *Heraclii*, & *Constantini* fratris obitum restitutus est, Sedemque Alexandrinam tenuit usque ad annum DCXLIII. quo successorem habuit *Petrum* ejusdem farinae hominem, seu Hæreticum Monothelitam, qui ex hac vita decessit anno DCI. Post Petri mortem, ceteri, qui ad hæc usque tempora secuti sunt Patriarchæ Alexandrini, & quorum Catalogum, atque Historiam habemus, fuerunt Hæretici Jacobitæ. Testatur tamen *Theophanes*, *Cosmam* Alexandrinum Patriarcham anno DCXLIII. cum ipsa Civitate Monothelitarum pravitate a *Cyri*, qui sub *Heraclio* vixit, temporibus eam Civitatem obtinente, abjurata, & errore cognito, ad Orthodoxam Ecclesiam rediisse. At fidem hæc in re *Theophani* non esse adhibendam recte monet *Cl. Eusebius Renaudotius* hac ratione permotus, quod *Eutychius* Patriarcha Alexandrinus *Annalium* Alexandrinorum Auctor, quique Monothelitarum Hæresim acriter ubique confectatus est, nunquam tamen *Cosmam* Patriarcham Alexandrinum Monothelitarum hæresis insinulavit, immo omnes Catholicæ Alexandrini illum tanquam Orthodoxum semper habuerunt. Quapropter, verosimilius putat *Renaudotius*, quod, *Egypto* a Romano Imperio avulsa, cum *Melchita*, seu Orthodoxi, ob Religionis conformitatem cum Græcis Constantinopolitanis suspecti essent apud Mahumedanos, non potuerunt per plures annos ad Patriarchæ Catholici electionem conventum Episcoporum facere, atque ita, dum non haberent Patriarcham, ex summa necessitate tenebantur consurgere ad vicinum Tyri Metropolitam eo facilius, quod Syria erat tum in Arabum potestate. Contigit autem, ut anno DCXLIII. Orthodoxi plenioris consecuti libertatem, *Cosmam* virum Orthodoxum elegerint ac consecrarint Patriarcham Alexandrinum, quamvis eodem tempore alter

alter esset Patriarcha Jacobitæ, qui Jacobiticæ Ecclesiæ Alexandrinæ præerat.

D. Nullus igitur omnino in præsentia superest Catalogus, ex quo nobis innotescere possit series Patriarcharum Alexandrinorum?

M. Seriem Patriarcharum Alexandrinorum descriptam habemus in Chronico Orientali, & a *Severo*, *Elmacino*, *Abulfaragio*, & ab aliis Scriptoribus Arabibus sectæ Jacobiticæ addictis, qui consulto in texenda serie Patriarcharum Alexandrinorum, post *Dioscorum* Hæreticum Eutychianum, qui in Patriarchatu Alexandrino successit

S. Cyrillo anno cccxliiv. meminere dumtaxat Patriarcharum Eutychianorum, & Jacobitarum, qui Sedem Alexandrinam occuparunt, prætermittis tam Orthodoxis, quam Hæreticis, qui, licet fuerint Patriarchæ Alexandrini, Jacobiticam tamen sectam non sunt professi. Hanc autem seriem Patriarcharum Alexandrinorum a tempore *S. Marci* Evangelistæ, qui fuit primus Episcopus Alexandrinus, usque ad annum mdccliii. *Cl. Renaudotius* ex laudatis mox Scriptoribus Arabibus contexit, eamque eodem ordine in rem tuam hic describere haud pigebit.

Series Patriarcharum Alexandrinorum.

Seriem, vitam, & gesta horumce centum & trium Patriarcharum Alexandrinorum, quorum multi ne nomine quidem antehac noti erant, accurate prosequitur Cl. Eusebius Renaudotius in sua Historia Patriarcharum Alexandrinorum.

Doctissimi etiam Operis Bollandiani continuatores dissertationem Chronologicam in centum, & tres illos Patriarchas Alexandrinos ad Tom. V. mensis Junii præmiserunt, in qua multa tradunt Monumenta, quæ ad Historiæ Coptitarum, & Jacobitarum notitiam apprime necessaria sunt. Hos itaque Scriptores, qui data opera perdocte, & eleganter ea de re pertractarunt, consule, si plura scire aaveas.

- | | |
|----------------------------------|------------------------------------|
| 1. S. Marcus. | 31. Dioscorus junior. |
| 2. Anianus. | 32. Timotheus III. |
| 3. Melianus, seu Abilius. | 33. Theodosius. |
| 4. Cerdo. | 34. Petrus IV. |
| 5. Primus. | 35. Damianus. |
| 6. Justus. | 36. Anastasius. |
| 7. Eumenius. | 37. Andronicus. |
| 8. Marcianus. | 38. Beniamin. |
| 9. Celadion. | 39. Agatho. |
| 10. Agrippinus. | 40. Joannes III. dictus Semrudzus. |
| 11. Julianus. | 41. Isaac. |
| 12. Demetrius. | 42. Simon. |
| 13. Heraclius. | 43. Alexander II. |
| 14. Dionysius. | 44. Cosmas I. |
| 15. Maximus. | 45. Theodorus. |
| 16. Theonas. | 46. Chail. |
| 17. Petrus Martyr. | 47. Mennas. |
| 18. Achilles. | 48. Joannes IV. |
| 19. Alexander. | 49. Marcus II. |
| 20. Athanasius. | 50. Jacobus. |
| 21. Petrus II. | 51. Simon II. |
| 22. Timotheus. | 52. Yucab. |
| 23. Theophilus. | 53. Chail II. |
| 24. Cyrillus. | 54. Cosmas II. |
| 25. Dioscorus. | 55. Sanutius. |
| 26. Timotheus II. | 56. Chail III. |
| 27. Petrus III. | 57. Gabriel I. |
| 28. Athanasius II. | 58. Cosmas III. |
| 29. Joannes I. | 59. Macarius. |
| 30. Joannes II. dictus Reclusus. | 60. Teophanius. |